



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**M. Antonii Marsilii Colvmae, Bononiensis, I. C.  
Archiepiscopi Salernitani, De Ecclesiasticorum Reddituum  
Origine, & Iure Tractatvs**

**Colonna, Marcantonio**

**Venetijs, 1575**

Cap. XXXVI. Tam multos esse interpretes, qui communi inspecta consuetudine, reddituum Ecclesiasticorum clericis dominium tribuunt, vt si consuerudinem attendamus, de communi sententia multominus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61495)

neos, inquit, habeo & nobiles se esse non erubescunt, & ad me Episcopum veniunt aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis dicentes, Da nobis aliquid Pater: caro enim tua sumus. & tamen Dei gratia, & vestris orationibus medianribus, consanguineum aliquem me ditasse non recolo. Ditas se illos se negat Augustinus dedisse verò se illis non negat. † Ex hac parte ergo quinquaginta quinque censentur, canonum quidem interpretes triginta & nouē, Theologi verò sexdecim, qui reddituum Ecclesiasticorum beneficiarios dominos esse existimauerunt. Neque verò dānare nos quisquam verè potest, quòd ex his duos bis numerauimus, nimirum Cardinalem Turrecrematam, & Card. Alexandrinum. Cùm enim iidem, & Theologi & Canonum interpretes sint, meritò in vtranque classem eorum nomina deferri potuerunt. Eò igitur iam rem deduximus, ut quæ sit communior sententia, dubitare nemo possit, cùm eos qui partem affirmatiuam sequuntur, contrariæ partis fautores viginti, & vno votis superare liquidò ex prædictis liceat intelligere.

## A R G V M E N T V M.

*Iam multos esse interpretes, qui communi inspecta consuetudine, reddituum Ecclesiasticorum clericis dominium tribuunt: vt, si consuetudinem attendamus, de communi sententia multò minus dubitare possumus.*

## R E R V M S V M M A E.

- 1 Clerici, attenda consuetudine, nedum domini sunt reddituum Ecclesiasticorum, sed de illis etiam testari possunt: ea q̄ consuetudo valet. num. 2.
- 3 Constitutio Caroli Sexti, Gallorum Regis, circa consuetudinem testandi.

T 4 Non

- 4 Non est sumenda interpretatio, que multorum damnationem inducat.
- 5 Communis sententia est, clericos esse dominos reddituum Ecclesiasticorum, septuaginta trium interpretum auctoritate recepta, si consuetudo admittatur.
- 6 Doctores, qui contra Archidiaconum sentiunt, auctoritate prestant ipsi, qui illum sequuntur.
- 7 Glo. tribuendum magis est, quam ceteris.
- 8 Romane Rotæ auctoritas, & laus.
- 9 Rotæ Rom. decisio constituit communem sententiam.
- 10 Communis sententia contra Archidiaconum locum habet, nedum si clerici honestè viuant, sed etiam si liberio-rem vitam agant. Et qui contrarium sentiunt, num. 12.
- 11 Theologis, & iuris peritis simul in decidendis questionibus arduis magis creditur.

## CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

**D**EMONSTRAVIMVS huc vsque communem esse hanc nostram sententiam, ita vt consuetudinis nullam rationem haberemus. At verò si consuetudinem attendimus, quam clericis hac in re maximè fauere, negare nemo potest, multo etiam maiorem eorum numerum reperiemus, qui affirmatiuæ sententiæ adstipulantur. Multi enim sunt, qui proposita sibi consuetudine, eius solius gratia è priori sua sententia, & negatiua, ad hanc ipsam transfugiunt. † Atque ita quidem, vt propter consuetudinem ipsam, clericis nedum viuentibus dominium, sed morientibus etiam testandi facultatem concedant. Is verò sunt Io. de Lignano in c. fi. de pecul. cleric. Ioan. de Fantutijs, quem Lignano ipse refert. Hug. & Laurentius. in c. aliena rationes. 12. q. 2. Io. And. in reg. Nemo plus potest, de reg. iu. in 6. & in c. cum

cùm in officijs, de testam. Gemin. in c. præfenti. num. 13. de off. ord. in 6. Ioan. ab Ana. in c. fi. nu. 8. in fi. de pecul. clerico. Bellame. qui Hugo. & Laur. refert, in c. testamen. ta verò, nu. 2. q. 12. 2. Panorm. in c. cùm esset, & c. relatum de testamen. Imo. in d. c. fi. de pecu. cleric. Io. Faber. in S. His uerò, Instit. de rer. diuifi. Guliel. de Benedi. in repet. c. Raynautius, uerf. Vxorem nomine Adelasiam, par. 2. nu. 264. Glo. pragm. sanctio. tit. de Agnatis. S. Item quòd si Ecclesia. tom. 2. fol. 120. Ferdinand. Vasq. in tract. de success. progress. tit. qui testamta fac. poss. lib. 1. S. 1. nume. 122. ibi, Præsertim cum sit consuetudo. & de success. creatio. lib. 3. S. 22. num. 40. Guido Papa. decisi. 115. Philip. Prob. in addit. ad Io. Mona. in d. c. præfenti, de offic. ordi. in 6. Io. Papponus. in consuetud. Burbonijs tit. de successio. S. 320. circa fin. Cassan. in consuetud. Burgund. Des successions des bastardz. rub. 9. S. 5. num. 58. 61. & passim. Summa Pisanella uer. vtrum clerici possint facere testamē tum, ibi, de consuetudine tamen. & Summ. Tabiena uer. clericus, 4. nu. 2. vbi, consuetudinem valere firmat, & ver.

2. Restitutio. S. 19. † Atqui certè iisdem his in locis demonstratur, valere eiusmodi consuetudinem, eamq; apud Hispanos, iridemq; Gallos, atque Burboneos vsu receptam

3. esse. † Refert autem Gulielmus ipse constitutionē quandam à Carolo Sexto Gallorum Rege editam anno 1385. de reparandis diuinis domibus: quæ ad id quod diximus de consuetudine, maximè pertinet. *Licèt de iure, inquit, vsu, consuetudine, & communi obseruantia, notoriè obseruatis, Episcopis Regni nostri testari liceat in suis exequutores ordinare & c. & paulò post: prædicta bona heredibus Episcoporum sic decedentium, qui ditioni inde nobis honestius guerris, & alibi, iuxta status eorum possent, & deberent seruire.* Quibus ex verbis licèt intelligere, quæ fuerint apud veteres eius consuetudinis obseruatio, quid verò recentioribus

Nota

bus temporibus seruatum sit, quid ve hoc tempore seruetur hac de re, declarant varia Pontificum diplomata, vt Iulij Tertij, Pij Quarti, & Pij Quinti, quæ varias huic consuetudini afferunt declarationes. Nouissimè verò eandem consuetudinem probauit sac. Romana Rota, vt testantur Guidobonus decis. 51. & Caputaquen. lib. 2. decis. 24. in ijs decisionibus, quæ manuscriptæ circumferuntur. Cum ergo tot tantorumq; virorum auctoritate hæc consuetudo recipiatur, cauendum est in primis, ne plus sapere nos velimus, quàm oporteat. atque illos omnes, vel inscitia, vel improbitatis nomine damnemus, æternoque etiam supplicio addicamus; † quo potissimum argumento ad executionem eorum, qui ecclesiæ decimas non rogati non soluunt, utitur Butrius in c. cum super. ad fi. de caus. poss. & proprie. & D. Tho. 2. 2. q. 185. argu. 6. ad secundum, in fin. & Quodlibe. secundo, argum. 8. quæst. 4. † Iam uero si hos quoque, qui propter consuetudinem nostræ fauent sententiæ, quasi subsidiarios milites reliquorum præsidii addamus, totam reperiemus hanc classẽ septuaginta duorum Doctorum numero constare, quorum aliqui (ut & satis diximus) ne dum uiuentibus clericis, sed & morientibus dominium tribuunt: ita ut de redditibus ecclesiæ testari illos posse concedant. Imò uerò, si accurate scriptores omnes euoluamus, qui de hac materia loquuntur, per paucos forsan reperiemus, qui posita consuetudine, parti negatiuè prorsus assensiant, quam qui probant solent ferè omnes in calce subijcere, Ceterum, stante consuetudine &c. uel alia eiusmodi uerba. Et quia præter Doctorum numerum alia insuper duo diximus in communibus opinionibus diiudicandis spectari oportere, nè pè utrum per transfennam, ut aiunt, an consultò deliberatè, constanterque Doctores aliquid affirmauerint; Item quantum quisque illorum auctoritate ualeat, qui sententiam

*Nota*

tiam aliquam amplexi sunt; vtranque rem nobis maximè  
 6 suffragari facilè possumus animaduertere. † Qui enim  
 contrariæ opinioni fauent, Archidiaconi potius autorita  
 tem sequuti uidentur, quàm rationibus persuasi, aut pro  
 pria moti sententia. Qui verò nobis suffragantur, cùm ma  
 gis deliberatè loquuntur, tum certè autoritate longè aliis  
 præfulgent, si quidem in his censentur (ut ceteros sileam)  
 Hostiensis, Cardinalis Zabarella. Card. Turrecremata; tū  
 7 uerò & Glossator, † cui plusquam ceteris tribuendum  
 esse fatentur vbique nostri interpretes, vt Bar. Bal. Alex.  
 & alij in l. ut uim, ff. de iust. & iur. Fanat. caut. 17. magna est  
 quæstio, nu. 1. Franc. Viuius, tract. commu. opin. lib. 1. opi.  
 183. ante fi. & Illustrissimus Cardinalis Albanus in lucu  
 brationibus ad Bar. in l. certi conditio. nu. 5. ff. si cert. pet.  
 8 † Extat etiam pro hac parte Dom. Rotæ autoritas, quæ  
 in tam illustri & excelso loco posita est, ut ab ea recedere  
 9 nefas quodammodo videatur. † Qua ex re fit, ut ipsius Ro  
 tæ decisio communem sententiam constituat, vt tradunt  
 Imo. & And. Sicu. in c. olim, primo. col. 11. de lit. contest.  
 Gomez. qui fuscè hanc rem prosequitur, in procem. regu.  
 cancell. q. 2. in 4. fundamento partis affirmatiuæ, num. 10.  
 Vant. in tract. de nullita. tit. de nullita. senten. ex defect. iu  
 risdiction. delega. num. 20. qui & ipse ad hanc rem multa  
 congerit. Neque hoc sanè à ratione alienum est, cum sem  
 per in illud collegium lectissimi viri cooptentur, qui nō  
 temerè aut casu, vt sæpe alibi Doctores, aliquid affirmant  
 sed communicato consilio ac re diligentissimè examina  
 tas propositas sibi dubitationes explicant, atque decidūt,  
 sicque continuis discussionibus uel docti per se, alioquin  
 doctiores in dies fiunt, neque secus atque aurum in forna  
 ce, quodammodo depurantur, vt rectè animaduertit Ga  
 liaula in l. centurio. nu. 94. ff. de vulga. & Purpura. in l. 1.  
 nu. 292. ff. de off. eius.

Verùm

Verùm enim verò, ne quis fortasse existimet prædictos omnes, qui in nostram veniunt sententiam, tunc tantum, clericis dominium tribuere reddituum ecclesiasticorum, quando ij sanctè honestè que viuunt: decus autem de illis sentire, qui voluptatibus dediti inhonestam, nimis que liberam vitam degunt: † Placuit hìc nonnullos referre, qui expressim hoc caput attingunt: ac quamuis clericos per omnium lasciuiantes sibi proponant, non propterea tamen à sententia affirmatiua recedunt. Hi uerò, sunt in præallegatis locis Card. Turrecremata. Card. Zabarella, Bellamera, Summa Tabiena, Dominicus Sotus, Petrus Sotus, qui ambo unà cum Turrecremata, Alexandrino, & Couarruia, idem hoc sentire, D. Thomam affirmarunt, Vbicus in sua Summa, quem Turrecremata citat in c. si priuatum, nu. 1. 12. q. 2. In quam sententiam maxime conueniunt verba Io. Gersonis, viri vnde quaque eruditissimi, qui in suis moralibus cap. de auaritia, ita inquit: *Multa faciunt ad hoc, quòd aliquis faciat fructus beneficij sui esse suos in foro exteriori; Imò et quòd restituere non teneatur; que animam à peccato mortali non liberant: Quod paulò post apertius comprobatur, inquit: Si beneficiatus certa bona habeat instituta non pauperibus, & illa consumit, ad restitutionem obligatur: secus si commissum sit totum fidei suæ; ubi & si peccet grauiter, & sacrilegè quoque abutendo bonis illis luxuriosè, tamen restituere non tenetur: Ac dum postea de Prælatorum temperantia agit, non ausurum se definire dicit, quòd Beneficarij ad restitutionem teneantur. Idem hoc apertè sentit, si modò demus redditus inter se distinctos esse, quod per beneficiorum constitutionem fuisse factum supra demonstrauius. Driedonus, libr. 2. de liber. Christia. capit. tertio, tom. tertio, Clerici, inquit, qui de huiusmodi bonis quicquam prodigè consumunt, aut immoderatum, aut indigentè exponunt cognatis, non pauperibus,*

*bus, non tenentur ad restitutionem, modo adimpleant onera, seu officia, propter quæ data sunt beneficia.* Adde Cardinalem Caietanum ex D. Thom. 2. 2. q. 62. argumento. 5. ad quintum. In his verò autoribus, quos proximè recensui,

11 præter numerum, accedit & pondus; † sunt enim ex ijs cōplures Theologi pariter, & iurisperiti, vt Card. Turracremata, & Præpositus Alexandrinus, quibus in arduis quibusque decidendis quæstionibus primus locus deferri solet, ut tradit Petr. de Anchara. in quæstione incip. Antiquis, & modernis temporibus Viri Catholici. Alex. conf. 1. n. 10. vol. 2. Io. de Anania. in c. in ciuitate. car. 4. de usur. & Dec. conf. 111. nu. 6.

12 † Sunt quidem, & à contraria parte, qui hoc caput speciatim attingunt, ac putent teneri clericos ad restitutionem, quando fructibus ecclesiasticis male utuntur: sed lōgè pauciores numero sunt: nimirum Archidiano. in d. ca. statutum. §. affefforem, de rescrip. in 6. ac Panormi. in cap. cum effes, de Testa. Burgen. in d. c. de emptio. & venditio. & ex Theologis Alex. Halensis, Ioan. Maior. Paludanus, Summa Agelica, Rosella, Raymundus Vricus de Argentina in Sum. in cap. primo. ubi eum citat Card. Turrecremata, in 10. conclusionem, 12. q. 5. & Io. de Friburgo in sua Sum. confesso. lib. secundo, titulo quinto, de rapina clerico. versi. quid de Prælati, q. 14. Monalden. Franciscus de Platea. Speculum Pontificum, Aluarus lib. secundo, cap. 28. de plantu ecclesiæ, & Caietanus, qui ut supra, animaduertimus, sibi ipsi parum consensit. Horum verò numerum, illorum numero, qui contrarium sentiunt, longè inferiorem esse facile unicuique licet animaduertere.

Quod verò attinet ad postremum illud caput ex tribus, quæ fuerant à nobis distincta, nimirum, quando clerici officium suum deserunt; nihil est, quod in eo nunc instamus, tum quia negantium opinioni nos quoque hac in

re

re assentimus; tum etiam, quia superius, vbi hoc plenè tetigimus caput, autores omnes, qui ea de re locuti sunt accuratè recensuimus.

### ARGUMENTVM.

*Licet utriusque sententia fautores, D. Thoma verba captare, ac certatim ad se quisque trahere studeant; perspicuè tamen illum hac in re loqui, & clericos non modò dominos facere, sed etiam ab omni restitutionis onere liberare.*

### RERVM SVMMÆ.

- 1 Sensus verborum D. Thoma à multis pro libito acceptus.
- 2 Considerat prius D. Tho. diuisionem bonorum ecclesiasticorum ingerere, deinde in specie.
- 3 Prælatus, si bona distincta siue specialia, & alienas portiones sibi usurpat, mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur: secus si inter se distincta non sunt, num. 4.
- 5 Episcopus abutendo sua portione, non secus peccat, ac si proprijs bonis abuteretur.
- 6 Quod de Prælatorum portione affirmat D. Thomas, de beneficijs quoque dicendum est, & nu. 8.
- 7 Si bona reali distinctione, siue potius arithmeticè distincta non sunt, censentur omnia commissa arbitrio Prælati: qui si illis abutatur, peccat quidem, non tamen tenetur ad restitutionem.
- 9 Prælatus tripliciter potest rem ecclesie subripere.
- 10 Prælatus dupliciter se habet ad res ecclesie, ut custos, & ut dispensator.
- 11 Quæ de redditibus ecclesiasticis statuit D. Tho. ad omnes redditus in confuso pertinent.
- 12 Nullam esse statuendam differentiam inter præbendam ac ceteros